

Ait lucem hanc, quæ imago sit paterni profundi, esse supramundanam, sicuti et exemplar eius supramundanum est; supramundana autem ea sunt, quæ essentiaæ suæ præstantia mundana corpora omnia, et excedunt, et excellunt; hoc est incorporea sunt. Itaque lumen hoc primum et supra mundum est, et in corporeum est. Ad cuius contemplationem, Platonis auditor, eorum librorum author, qui sub Ægyptiæ sapientiæ titulo, circumferuntur; quem hoc semper nomine, quoniam proprium non habemus, nominabimus; nos adhortatur his verbis.

“Maiore tamen studio, in mundi eius qui cœlesti superior est, quam in ipsius cœlestis contemplationem incumbendum.”

Est autem incorporeum hoc lumen, quia simplicissimum est, et igni Empyreo simplicius. Quia ignis hic, et corpus est, et lucet, et calet. Lumen autem primum non aliud est quam lumen. Itaque ut simplicius, ita superius est Empyreo et excellentius. Cuius effectrix, sicuti et animatrix videtur anima Fontana; a qua animatur, simul cum igne, et æthere, et hyle. Quam affirmit idem Zoroaster opificem esse inferiorum: cum ait.

“Οτι ἐργάτις, ὅτι ἔκδότις ἐσί πυρός ζωηφόρου.

“Quoniam opifex, largitrixque est, ignis vitiferi.”

Per omnia scilicet inferiora fusi, quæ dum animat, calorem, lumenque vitamque eis largitur. Id autem facit potestate ei dara a patre; ut ipsa sit ignis lucidus. Ait enim oraculo alio.

“Οτι ψυχὴ, πῦρ δηναμει πατρος οὖσα φαεινόν.

“Quoniam anima, ignis, potentia patris exiitens fulgidus.”

Qua potestate dum operatur anima, ait.

Μιγνυμένων δ'όχετῶν, πυρός αφθιτου ἔργα τελοῦσα.

“Mistis canalibus, ignis incorruptibilis opera efficiens.”

Omnia namque mundi corpora et supera, et infera, animæ Fontanæ opera sunt, partim sibi proxima, partim instrumentis aliis mediantibus operans. De quibus postea suo loco; Nunc propositum de incorporeo hoc primo lumine peragamus. Lumen hoc primum inquam, incorporeum est, et ideo imago paterni profundi, quod profundum, et ipsum incorporeum et supramundanum est. Necessè enim est, lumen hoc primum, incorporeum, et supramundanum, vel a proxima supramundana essentia provenisse, anima scilicet Fontana; vel a superiore aliqua per medium animam. Supra autem animam Mens est secunda; ante secundam prima; ante primam pater. Qui quidem pater dicitur:

Πάντα ἐξετὲλεσε πατήρ, καὶ νῷ παρέδοκε δευτερῳ.

“Omnia perfecit pater, et menti tradidit sacerdæ.”

Quæ paternum illud est profundum; et quam Platonis auditor vocat principem essentiam; eamque esse lucem infinitam. Sic enim scribit: Rursus igitur, ad institutum regressi dicamus, principem essentiam, quæ lux est infinita, nulla ex parte interite. Ideoque ab illa illustrari